

tia, et displicet in peccato, contra est, tum quia illa repræsentatio est naturalis, et non potest variari ex parte objecti, quin varietur ex parte naturalis repræsentationis, sicut species et imago naturalis variato ejus objecto non potest vere repræsentare illud, actus autem voluntatis est liber, et idem actus propter sui eminentiam respicit duo objecta modo libero, unum volendo, et oppositum nolendo, scilicet gratiam et peccatum, non vero circa idem objectum manens idem formaliter, variatur. Tum etiam quia idem dicam de omnipotentia quod respicit creaturam sub statu possibilitatis ut creabilem, et sub statu impossibilitatis respicit aut refutat ut non creabilem, et sub hac disjunctione habet necessariam connexionem, et manifestare potest creaturam tamquam causa prius cognita in statu possibilitatis ut creabilem, in statu impossibilitatis ut impossibilem, scilicet ut jam non connexam sibi, sicut in ratione speciei manifestabit modo ut possibilem, et si redderetur impossibilem, ut impossibilem.

XXV. Deinde, respondetur argumentum peccare et in antecedente quod affirmat, et in consequente quod infert. Peccat in antecedente, quia non est inconueniens aliquam veritatem firmiorem et superiorem destrui ablata inferiori non per locum intrinsecum, sed quasi ab extrinseco, sicut destructis conclusionibus necessario deductis, destruitur veritas principiorum. Licet autem creaturas esse posibles formaliter sit aliqua veritas creata, et participata a Deo, et sic inferior illo, tamen creaturas esse posibles radicaliter, est veritas divina, quia radix possibilitatis creaturarum Deus est. Ex eo autem præcise quod tollatur possibilitas formalis si posset tolli sine radicali, non destrueretur per locum intrinsecum veri-

tas divina, sed non potest tolli formalis possibilitas, nisi incipiendo a radicali possibilitate, eo quod formalis possibilitas non est aliquid reale extra Deum, hoc enim non datur nisi producat, et tunc jam non esset sola possibilitas, sed existentia; est ergo possibilitas formalis aliqua non repugnantia, et denominatio proveniens a possibilitate activa et radicali quæ est in Deo. Non potest autem tolli et cessare aliqua denominatio extrinseca in objecto, nisi incipiat tolli ex parte formæ realis denominantis ab extra, sicut esse visum non potest tolli, nisi cessante visione quæ est in oculo. Et hoc amplius manifestum est, quia non minus essenziale et intrinsecum est Deo quod sit participabilis inadæquate et limitate extra se, quam quod sit adæquate et consubstantialiter communicabilis ad intra in processibus Personarum. Nam stante infinitate entitatis divinæ, intrinsece et essentialiter continet omnes perfectiones particulares totius generis entis, si quidem in suo intrinseco conceptu postulat esse primum ens, et quod sit infinitis modis participabilis, sicut infinitas rerum perfectiones eminenter continet. Si autem removeretur possibilitas alicujus creaturæ, removeretur perfectio ejus, et sic Deus non contineret illam nec esset eminenter illa creatura, nec haberet ideam illius, quia Deus non est eminenter id quod est impossibile, et imparticipabile a se, sed solum eminenter est illud quod a se est participabile, ergo eminentia divina aliquam perfectionem amitteret, scilicet non esse illo modo participabilem et ita non esset infinitis modis participabilis, et infinitis modis eminens, et perfectus sicut modo. Quare cum possibilitas in creaturis sit denominatio, qua dicuntur participabiles a Deo, non potest tolli ista participa-

bilis a creaturis incipiendo ab ipsis, et tollendo aliquid ab eis, quia in eis ista possibilitas non est aliquid reale in rerum natura quod tollatur, sed objective se habens ad potentiam Dei: solum ergo potest tolli, incipiendo a Deo, et destruendo in eo radicalem et activam possibilitatem, unde emanat illa denominatio possibilitatis objectivæ. Quando ergo veritas inferior et imperfectior et participata non tollitur in se, sed ex ablatione veritatis ut contentæ in superiori veritate, ex tali modo tollendi, recte sequitur quod veritas superior destruat.

XXVI. Peccat secundo argumentum in illatione consequentiæ, quia ad cognoscendum unum mediante alio requiritur quidem connexio inter medium cognoscendi, et rem cognitam, non tamen requiritur connexio dependentiæ ex utraque parte, id est, etiam ex parte causæ, sed sufficit ut sit certo manifestativa quod per suam eminentiam contineat rem illam ut dependentem a se, et faciat sibi subjectam necessario, non vero, quod ipsa causa sit dependens, et relative se habens realiter ad talem rem, sed sufficit ex parte effectus connexio dependentiæ a causa, ex parte autem causæ quod sit connexio consequentiæ, non dependentiæ. Relatio enim illa et dependentia causæ, ut jam supra ostendimus non conducit ad manifestandum, seu demonstrandum rem causatam, magis autem obest, et impedit, quia non ita perfecte continet, et influit in rem causatam, sicut quando est magis independens et absoluta et perfecta in operando, et influendo, causa autem tanto melius demonstrat causatum, quanto perfectius continet illud et influit, et necessitatem sui in causato ponit. Quare in forma dicitur, quod ubi non est connexio non est medium, neque ratio manifestandi al-

terum, distingo; ubi non est connexio per mutuam dependentiam utriusque extremi, est tamen per eminentiam in uno et dependentiam in alio, nego; ubi non est connexio ullo modo, neque dependentiæ in utroque extremo, neque saltem dependentiæ in uno et eminentiæ in altero, concedo. Deus autem habet connexionem eminentiæ ex parte sua, et dependentiæ ex parte creaturæ, et sic est sufficiens principium manifestandi creaturas.

XXVII. Secundo arguitur: Deus non videt in se creaturas tamquam in causa, ergo neque beati in illo. Consequentia patet a contrario nostri fundamenti, quia probavimus beatos videre creaturas in Deo, quia Deus sic videt, ergo si Deus non videt, ruit fundamentum. Antecedens probatur, tum quia Deus non cognoscit creaturas, quia est causa earum, sed potius ideo est causa, quia cognoscit et intelligit illas cum sit agens per intellectum: ergo non cognoscit in se tamquam in causa, sed prius cognoscit quam sit causa: tum quia si per impossibile cogitetur Deus non omnipotens, et tamen infinite sciens, non esset causa creaturarum et tamen sciret illa, si quidem sciret omnia: ergo non habet cognitionem creaturarum per cognitionem sui, ut causa est, et ut omnipotens, sed per infinitum lumen suum etiamsi causa non sit: tum denique quia Deus in tantum cognoscit effectus per causam in quantum continentur in causa, in Deo autem analogice continentur, et valde dissimiliter ad ipsum Deum, si quidem creaturæ distant a Deo infinite: ergo si ad instar sui cognoscit illas, valde æquivoce, et confuse eas cognoscit, sicut etiam qui ex creaturis cognoscit Deum, valde confuse illum attingit.

XXVIII. Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem

dicitur verum esse, quod Deus ante suum intelligere non supponitur esse causa creaturarum, quia per ipsum intelligere constituitur in ratione causæ, imo in ipso suo esse naturæ divinæ ut infra, disputatione sequenti ostendetur, sed quia intelligit Deus ipsum suum intelligere tamquam objectum sui, eo quod in Deo idem est objectum intelligibile, et intellectio, ideo si est causa per suum intelligere, per causam cognoscit creaturas, quia ipsum intelligere objectum ejus est, et sicut cognoscit suam essentiam, quæ consistit in ipso intelligere tamquam rem cognitam, etiam cognoscit illam ut causam creaturarum, quia vere sic est. Nec tamen hoc facit per reflexam cognitionem, quia ante ipsum intelligere non præsupponitur aliud objectum directe cognitum, quia non præsupponitur aliud quo constituatur natura divina, et ita cum sit primum objectum divinæ intellectio ipsamet intelligere, non reflexe, sed directe ipsum cognoscit. Ad secundam probationem dicitur, quod ablata omnipotentia tam radicali quam formali, id est, tam essentia quæ est radix, quam attributo quod est sicut virtus, etiam tolleretur scientia creaturarum, quia non remaneret possibles. Si autem maneret essentia, seu omnipotentia radicalis, tolleretur autem per impossibile omnipotentia formalis, quæ est attributum, adhuc intelligerentur creaturæ in essentia tamquam in causa radicali, essent enim possibles radicaliter, licet non proxime. Si autem fingeretur aliquid aliud præter Deum habere omnipotentiam tam radicalem quam formalem, ipsum autem Deum habere omniscientiam, tunc intelligeret Deus creaturas in illo alio quod esset causa creaturarum, non autem extra talem causam, si quidem etiam illam omnipoten-

tiam intelligeret, cum omnia intelligeret, illam ergo videret causam esse creaturarum. Ad tertiam probationem dicitur, quod ut docet D. Thomas infra quæstione xiv, art. vi ad secundum et tertium, Deus non est similis creaturis per modum adæquationis et univocationis, sic enim omnino est dissimilis Deus, sed per modum virtutis contentivæ creaturarum, et actus eminentissimi qui continet totum quod est in actu inferiori, et imperfecto qualis est creatura, sicut decem continentur in centum, non per adæquationem centum ad decem, sed per continentiam, et eminentiam, et sic potest esse ratio cognoscendi illa propriissime, at vero creatura non adæquat Deum neque continet illum, sed participat, id est, partem capit, et sic non potest plene manifestare ipsum. Itaque res magna potest manifestare parvam quam perfecte continet, parva autem non potest manifestare magnam, quia non continet.

XXIX. Ultimo, arguitur quia si creaturæ videntur in Deo ex vi visionis et per eandem cognitionem formaliter, sequitur quod non sit aliquid determinans ad has creaturas potius quam ad illas videndas nisi sola Dei voluntas quæ tamen si relinqueret ipsum lumen gloriæ, et essentiam divinam suæ naturæ, manifestaret omnes creaturas vel nullam, quod ex se satis absurdum est. Sequela probatur, quia tam essentia divina quæ gerit vices speciei, quam lumen ex parte intellectus se tenens indifferenter se habent ad has creaturas potius quam ad illas, quia essentia divina quantum est ex se continet omnes indifferenter, et lumen gloriæ etiam ejusdem rationis est, et sufficiens pro omnibus, cum omne lumen gloriæ idem objectum formale habeat quod est essentia divina, quod vero unum lumen sit

intensius alio non obest, quia tale lumen faciet magis et perfectius idem videre, non plures vel pauciores creaturas. Et deinde, quia cum æquali lumine contingit videre diversas creaturas, unusquisque pro statu suo quæ pertinent a se. Imo cum minimo lumine quilibet beatus videt excellentissimum opus Dei quod est incarnatio, et alia mysteria gratiæ, quia pertinet ad statum suum ea videre in cælo, quæ credit terra, et tamen cum eo minimo lumine non videbit plures creaturas possibles ordinis naturalis, si autem videre has creaturas potius quam illas fundaretur in ipsa perfectione, vel imperfectione luminis, et non in sola voluntate Dei, quomodo ille qui potest cum suo lumine videre excellentissimum mysterium incarnationis, non videret inferiores alias creaturas possibles? Confirmatur, quia qui ex vi visionis videt perfectiorem creaturam a fortiori videbit omnes ei inferiores, quæ non ita latentes sunt, nec tantum luminis requirunt, istæ autem sunt infinitæ, quia sub qualibet specie potest facere Deus aliam minus, ac minus perfectam in infinitum, et sub infinitis modis ac perfectionibus accidentalibus, ergo quilibet beatus videbit infinitas creaturas in Deo, hoc ipso quod videt aliquam, quod inconveniens non sequitur, si videat illas extra Verbum.

XXX. Respondetur quod ut dicitur amplius articulo sequenti ex diversa perfectione, et modificatione luminis provenit, quod videantur istæ creaturæ potius quam illæ, et quod diversimode penetraret divina essentia ut causa illarum. Et quando dico ex diverso lumine, et intensione aut modificatione ejus, etiam intelligo ex diversa unione et actuatione divinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis, quia juxta pro-

portionem luminis ipsa etiam species, quæ est essentia divina se accommodat, quia finito modo unitur et in hoc est magna latitudo secundum magis, et minus, juxta proportionem luminis quod est virtus utens tali specie. Et licet lumen sit ejusdem speciei respectu sui formalis objecti, tamen in intensione et modo multiplex est, et magnam habet latitudinem, potest diversimode penetrare divinam essentiam, et plures vel pauciores effectus videre, sicut etiam lux visibilis est ejusdem speciei, et tamen cum intensiori luce plura videntur, quam cum remissione; et philosophia aliæque scientiæ habent suam speciem, et tamen secundum diversam intensionem vel perfectionem, seu extensionem diversas conclusiones, et objecta attingunt. Quare D. Thomas inæqualitatem visionum sumit ex diversitate luminis et essentiæ divinæ illi repræsentantis, ut patet in hac quæstione, articulo vi et art. viii et quæst. viii de veritate, art. iv, de quo dicitur amplius articulo vi sequenti. Et ita cessat objectio Vazquez ponentis vim in hoc quod ex intensione luminis, non possunt plura objecta videri, sed idem melius; constat enim in sensibilibus ex intensione luminis plura manifestari, sicut lucente sole in die plura videmus intra spheram nostri visus quam lucente luna in nocte. Et præterea ex applicatione diversa ipsius speciei etiam lumen ad plura se extendit, vel ex diversa coordinatione specierum, ut in habitu scientiæ, quando extenditur ad plures conclusiones. Similiter ergo potest crescere lumen gloriæ, ut extendatur ad plures effectus, non per coordinationem specierum creatum, sed per diversam ejusdem increatæ applicationem; vere tamen ad hoc perficitur in extensione ipsum lumen sicut scientia.

XXXI. Major difficultas est in eo quod insinuat in alia parte argumenti, quod qui videret perfectiorem effectum, v. g. mysterium incarnationis, vel gratiam, etc. deberet habere penetrantius lumen, quam qui videret aliquam creaturam ordinis naturalis ex possibilibus, cum tamen omnes beati videant ista mysteria, quæ sunt excellentissima inter effectus Dei, nec tamen videant omnes creaturas posibles ordinis naturalis. Quidam censent non indigere majori lumine ad effectum perfectiorem (sicut sunt gratia et gloria, et mysterium incarnationis) ut videatur in Deo, neque esse aliquid latentius in Deo, ex eo quod est perfectius, cum potius ista mysteria habeant majorem convenientiam cum Deo, et ideo magis sunt pervia videntibus Deum, ut docent theologi Carmelitani hic tractatu II, disp. VII, dub. V, §. VI. Cæterum hoc non caret difficultate, quia quanto aliqua creatura est similior Deo, tanto magis de ejus perfectione participat, ergo ut videatur ex visionis divinæ essentiæ, magis debet Deus videri, quia major ejus participatio videtur, neque potest esse magis pervium quod magis de Deo participat et similior est illi, quia in se est difficilior cognitu, ergo et in sua causa. Neque video quomodo perfectissimus Angelus, qui similior est Deo quam formica, non indigeat perfectiori lumine, et penetrantiori visione, quam ut formica videatur, ea enim quæ sunt excellentiora in natura sunt difficiliora ut cognoscantur. Quod si Angelus qui est Deo similior indiget perfectiori visione ut penetretur in Deo, ergo et gratia et mysterium incarnationis, quia perfectiori modo Deum participant.

XXXII. Quare facilius dicendum videtur, quod istæ creaturæ excellentissimæ possunt dupliciter vi-

deri; uno modo quantum ad sui existentiam, vel etiam quoad aliqualem quidditatis notitiam, alio modo quoad sui comprehensionem et rationes omnes intelligibiles, quæ illi conveniunt. Ut videantur primo modo, non requiritur penetratio virtutis divinæ, sed sufficit quod manifestetur decretum liberum Dei producendi illas in esse, et ordinandi ex ipsis totum universum, et quidditas eorum etiam cognosci potest, quantum requiritur ad contemplandum in Deo ordinem universi, qui ex illis integratur, et ad hoc non requiritur valde profunda penetratio Dei, sed solum quoad an est cognitio decreti liberi, quod per specialem Dei ordinationem ad ipsum lumen beati innotescit, ut præcedenti articulo dictum est.

XXXIII. Cæterum comprehensio gratiæ et aliorum effectuum excellentium, et penetratio rationum intelligibilium, secundum quas subsunt providentiæ divinæ, hoc non cuilibet beato manifestatur, sed plus vel minus juxta modum uniuscujusque, et fortassis nullus ad plenum scit illa, nisi anima Christi ad quam inducit Sanctus Dionysius, VII capite cœlestis hierarchiæ, cœlestes mentes quæstionem facientes de suscepto pro nobis opere, et ipsum Jesum sine medio eas docentem. Quando ergo dicimus creaturam perfectiorem esse latentiorem in Deo, et requirere perfectius lumen ut videatur, intelligitur de tali creatura cognita, non solum quoad an est, et quoad quidditatem utcumque, et ut ordinatur in structura hujus universi, sed cognita penetrative aut comprehensive, et ita beatus qui penetrat in Deo comprehensive aliquam creaturam possibilem ordinis naturalis, ejusque rationes intelligibiles, majus lumen exigit, quam qui aliquam creaturam licet excellentiorem cognoscit solum

quoad an est, et quasi superficialiter. Sed de his amplius articulo sequenti.

XXXIV. Ad confirmationem respondetur quod licet qualibet creatura data, contineatur sub illa infinitæ aliæ minoris perfectionis in infinitum syncategorematicè producibiles, non tamen qui videt perfectiorem creaturam indiget ad hoc infinito lumine, nec est necesse quod omnes illas infinitas creaturas inferiores sigillatim et distincte videat. Non est necessarium infinitum lumen, tum quia de facto Christus videt infinitas cogitationes hominum, et Angelorum in Verbo, ut doceri solet III part. quæst. X, artic. II, nec habet infinitum lumen, et ipse Deus in se est infinitus, et non indiget lumine infinito, ut videatur finito modo, ergo neque creaturæ infinitæ si viderentur non secundum omnes rationes; tum quia omnis illa infinitas est secundum quid, utpote contenta sub perfectione finita illius perfectioris creaturæ, sicut qualibet res superioris ordinis dicitur æquivalere infinitis ordinis inferioris, vel etiam excedere, ut Angelus omnia corpora, nec tamen ob hoc habet infinitatem simpliciter, sed sub finitis terminis rei superioris conclusam. Nec requiritur quod singulas creaturas inferiores videat, sicut qui perfecte videt Angelum, non sequitur quod videat omnia corpora ei inferiora, quia non continuo habet speciem propriam illorum, neque beatus videns superiorem creaturam habet continuo essentiam divinam sibi unitam, ut contentivam creaturæ inferioris, nec ejus lumini id debetur, sed quod superiorem creaturam videat: et sufficit quod in confuso et in communi videat excedere omnes, et quamcumque inferiorem in infinitum syncategorematicè.

XXXV. Adverte, quod cum dici-

mus beatos videre creaturas in Deo ut in causa, non intelligi solum nomine causæ attributum omnipotentia, sed omnia attributa quæ suo modo ad creaturarum productionem et esse concurrunt, ut sapientia, et providentia dirigendo, voluntas applicando, justitia dando, quod cuilibet debetur et convenit, omnipotentia exequendo, et sic de aliis. Quomodo vero in ideis ea videant, specialiter inquit p. Suarez libro secundo de attributis negativis, cap. XXV, a num. XL, eo quod idea relationem rationis importat ad creaturas, quæ non conducit ut medium ad eas cognoscendas, ut repræsentativæ autem non sunt aliud quam conceptus Dei, et sic magis se habent ut medium repræsentationis formalis in Deo, quam objectivæ. Cæterum de relatione rationis, non est specialis difficultas in ideis, quia omnia attributa Dei respectum solum rationis dicunt ad creaturas, nec in eo fundatur ratio medii ad cognoscendum. Quod vero sint conceptus, nihil obstat quia repræsentant essentiam divinam ut participandam et videndam, et consequenter ut causam exemplarem in qua relucent creaturæ ut ideatæ et exemplatæ ab arte Dei, et conceptus ille est medium formale respectu Dei, sed potest respectu alterius intellectus esse objectivum, si cognoscatur ut res quædam in se repræsentans. Sed de his agemus infra ad quæstionem XV de ideis.

ARTICULUS IV.

An possunt a beatis omnes creaturæ videri, an etiam nullæ?

Omnia ista conducunt ad pleniorum explicationem eorum, quæ in præcedenti articulo tractata sunt, et ideo in hoc articulo ea expedimus.